

potest illas duas; quàm Quadratum bujus linea aequatur Quadratis illarum simul sumtis: siquidem quævis Recta linea tantum posseditur, quantum est ejus Quadratum.

*II. Linearum equalium equalia sunt Quadrata: & equalia Quadrata habent equalis lineas sive equalia latera.*

*III. Si quatuor Recte Proportionales fuerint, Rectangulum extremarum aequatur Rectangulo mediarum.*

Quod hactenus κατ' ἐξοχλῶ diximus Parallelogrammum, id in posterum dicemus brevitatis causâ RECTANGULUM, secuti exemplum Euclidis & aliorum Autorum.

Sint ergò quatuor lineæ Proportionales: prima 2. pedum, secunda 3. tertia 6. & quarta 9. Erit ergò

Ut 2. ad 3: ita 6. ad 9.

Ducto extremorum uno nimirum 2. in alterum 9: erit Factus eorum 18. qui & fit, si mediorum unum, puta 3. in alterum 6. duxeris. Quod in numeris accidit: id & in lineis eod. modo succederet, si duo Parallelogramma Rectangula fierent, quorum unius latus unum sit 2. ped. alterum 9: alterius autem unum latus 3. sit, alterum 6. &c.

*III. Si tres lineæ Proportionales fuerint: Rectangulum extremarum aequatur Quadrato Mediae.*

Datis tribus lineis Proportionalibus, quarum prima sit pedum 3. secunda 6. tertia 12. si ex primâ & tertiâ Rectangulum fiat, vel, si 12. in 3. ducas, prodibunt 36: si verò ex media Quadratum facias, vel, si 6. in se ducas, prodibunt iterum 36. Unde veritas Theorematis satis est conspicua. Idem autem est, ac si diceres:

Ut 3. ad 6: ita 6. ad 12.

Ut ut enim tres tantum dantur numeri: quia tamen medius in proportione bis sumitur: sunt eorum revera quatuor.

Porro ex hoc & præcedenti Theoremate, non tantum

enasci-